67

IN FVNERE
Illustrissimi, ac Eminentissimi
IO: BAPTISTÆ ZENI
S. R. E. Card. Ampliss.
ORATIO
A IOANNE ARBORSANI
Hortensij Filio
In Augustiss. D. Marci Templo
CORAM
SERENISSIMO PRINCIPE
Venetoq; Senatu habita
Prid. Id. Maij.





VENETIIS, M DC XXXV.
Ex Typographia Ducali Pinelliana.
Superiorum Permissu.

ILLVSTRISSIMO
& Excellentissimo
MARCO LAVRETANO
SENATORI AMPLISSIMO



Seruus Humillimus

IOANNES ARBORSANI
Hortensij Filius.



Ecessitudo, quam cum Marco Illustrissimo tuo Nepote, studiorum occasione, sub disciplina Ad. R. Angeli Gambari Ecclesiæ D. Margaritæ Alumni, contraxi maximam, est in causa, ut hanc tibi Oratiunculam, primum meorum studiorum partum, in annuo funere Illustrissimi, ac Eminentissimi Io: Baptistæ Cardinalis Zeni coram Veneto

Senatu frequentissimo habitam dicare ausus fuerim, quò tua sub umbra singularis sapientiæ, nec non præclarissimæ dignitatis, quam à Serenissimis Atauis tuis acceptam æmulari studiosè contendis, ætatulæ meæ imbecillitas à reprehensione immunis euadat. Accipe qualecumque hoc munusculum meæ in te obseruantiæ pignus, tuumque mihi studium pro tua humanitate benignus impende.

ORA-

ORATIO.



RÆclarè, atque optimè Facitis, Princeps Serenissime, Illustriss. & Excellentiss. Oratores, Sapientissimi, & Præstantissimi Patres, qui stato solemni more, pio, & amplo funere, Ioanni Baptistæ Zeno Cardinali Optimo, anniuersarias celebratis exequias.

Debetur certè quidem quicquid istud officij; quod omni pietate, religioneq; persoluitis, admirādæ illius virtuti, singulari beneficentiæ, prodigiosæ in Patriam charitati. Debetur etiam Venetorum amplissimæ, & omnium maximè pietati. Pius enim ille per omnem vitam egregia vbiq; reliquit magnificentiæ, charitatis, Christianissimæ, ac pientissimę mentis exempla, quorum perpetua extabit in animis gratissimorum posterorum memoria. Vos verò memori, gratissimoq; animo eundem quotannis pro tanta amplitudine meritorum, dignissima iustorum celebratione recolitis. Certat igitur hoc tempore Zena cum charitate publica pietas, cum liberalitate largitas, cum humanitate benignitas. Ego verò tametsi infans non tàm celebraturus vtramque, quàm contemplaturus accessero.

Quid enim opus in præsentia illius beneficentiæ largitatem laudibus celebrare, quam euolutis tot sęculi aliorū ora disertissima decantarunt? & cuius extant innumera non in hac Vrbe solùm, sed in Vrbibus Italiæ plurimis amplissima monumenta? Hac ille virtute, qua non facile multi eminent, cùm planè esset instructus ceteris, voluit eminere, quòd intelligeret, nulla re magis mortales ad Immortalis Dei naturam accedere, quàm benefaciendo,

lar-

largiendo, ac de multis benè merēdo, proptereaq; Deum à veteribus Prius Optimum, idest beneficiētissimū, quàm Maximum vocitari consuesse, quòd multo melius sit, atq; diuinius prodesse multis, quàm magnas opes possidere? Itaq; quò Deum, quantum fas est homini, imitatione con sequeretur, non sat ille habuit, religioni, innocentiæ, pietati, alijsq; virtutibus nauare operam, quibus paratur æterna gloria, & properatur accessus ad immortalem cum Deo vitam, sed totùm se dedit ad benefaciendum omnibus, ad opem ferendam miseris, ad subleuandas egenorum domos, sustentandas pupillorum familias, ad Viduarum cętus per benignè accipiendos, ad Virgines nubiles aut honestè collocandas, aut Deo Opt. Max. Sanctissimè mancipandas. Videlicet crediderim ego, sapientissimè Cardinalem Optimum cogitasse, hoc sęculum Mare esse quoddam turbulentum, ac procellosum, quo defertur vita mortalium quasi quædam imbecilla Cymbula. Ventos verò, ac turbines, quibus mare acriter perturbatur, multorum esse affectuum insanas perturbationes; & vastas cupiditatum maximarum moles, quibus persępè homo in breuia rapitur, vnde emergere, seq; explicare vix possit. Eò autem nauigari periculosius, & naufragij grauiore cum metu, quò pluribus opum, ac diuitiarum mercibus nauicula oneratur. Quamobrem euitando prudentissimè naufragio Zenus Cardinalis quid cogitet, quid moliatur, quid agat? Merces illas è sua naui deonerat, quam minùs opinabatur firmam, vt in alteram pauperum, ac calamitosorum transmittat, quam firmiorem, ac fideliorem nouerat, quo sic tuto perueniat in portum æternitatis, vbi nunc diuitijs, ac delicijs fruitur, & quidem ingenti cum fœnore, quas præmisit. Eundem fuisse morem apud veteres Druidam quorundam Gallorum accepimus, qui in hac vita cū essent, pecunias mutuas dabant, quæ sibi apud inferos redderen-

deren-

derentur; & hoc quidem ij solùm superstitione quadam faciebant,nulla adhuc disciplina,nulla religione edocti. At Zenus Cardinalis Optimus, vt qui Christianissima mente ornatus erat, diuinaque ad pietatem lege informatus, quantò idem saniùs,sanctiùsq; præstabat, qui ita se diuitias habere dicebat,non vt ab ijs haberetur,sed vt eas haberet,& conferet in opem aliorum, cùm præsertim sciret, bona tribuentes hominibus non ipsis cōmodare, sed Deo. Sic ille sentiebat,sic in ore habebat,sic factis, atque opere comprobabat. Nouerat inopem familiam esse aliquam? Sustentabat. Intelligebat huic, atque illi filiam esse nubilem, cui forma amatores faceret plurimos, maritum nullum? Collocabat. Sciebat redactos in seruitutem prædonum barbarorum aliquos? Pecuniam ad redimendum dabat. In carceribus detentos alios ære alieno sentiebat? Solutione facta liberabat. Religiosorum,ac Religiosarum hominum cœtus egebant cibarijs? Suppeditabat. Vestibus? Offerebat. Ædium, ac Templorum apparatibus? apparabat. Quid scio?nullum non genus pijssimæ charitatis in omnes exercebat. Testantur hoc Xenodochia & Nosocomia, & sanctissima loca, quæ magnis sumptibus, & expensis ad illos excipiendos extruxerat,qui tecto,ac domicilijs caruissent. Prædicant Diuorum & Diuarum Ædes quamplurimæ amplissimā Cardinalis Zeni beneficentiā, vel instauratæ, vel etiam à fundamentis erectæ. Celebrat D. Fantini Templum in hac ipsa Vrbe summo splendore, magnificentiaq; extructum, & copiosis censibus locupletatum. Testatur Veronæ D. Zenonis Basilica. Rauennæ Spiritus Sancti Ædes. D. Benedicti Cremonæ Fana, & altaria in toto eo tractu,qui est ad Modium,ad Neruesiam, ad Carrariam, quæ loca omnia magnificentissimè adornauit. Atq; vt taceam cetera, quæ infinita se offerunt,testatur singularem quandam,ac propè diuinam eius beneficen-

ficentiam, tùm auri, & argenti talentorum plurimorum largitio, qua res Patriæ magnoperè iuuit, quo tempore bello aduersus Genuenses molesto implicabatur, ac perdifficili, tùm nouissima eiusdem morientis voluntas, qua liberalissimo munere decem aureorum millia in pauperes eroganda legauit, & opulentissimi patrimonij, quod habebat, maximarum opum, quas possidebat, Rempublicam inscripsit hæredem. O factum verè pijssimum. O pietatem verè amantissimam Patriæ! Et non videtur vobis Princeps Serenissime, Illustrissimi Patres, tanta, & tàm admirabilis pietas Cardinalis Optimi, & Sanctissimi postulare, vt illius vos quoque defunctæ animæ parem pietatem, & beneuolentiam rependatis? & rependitis quidem officiosissimè, dum sanctis hisce supplicationibus, & Missarum Sacrificijs annuam operam datis, quò eius animam vestris precum pijssimarum suffragijs apud Deum Opt. Max. adiuuetis. Quamquàm enim qui tàm piè, tamq; christianè vixit, eum post obitum Cœlo receptum esse speramus, ac Dei benignitate confidimus, quia tamen pauci admodum ea puritate decedunt, vt non pœnarum aliquid post mortem luendum sit, facitis profectò christianissimè, vt fusis ex animo precibus ei vos mortuo diuinam misericordiam imploretis, & liberationem ex loco purgandis animis destinato precemini, qui, & viuus, & moriens summum in vos amorem, summam in omnes charitatem egregijs facinoribus declarauit.

D I X I.